



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1858**

CIII. Die Städte der Mittelmark und Niederlausitz geben der Stadt Stendal Nachricht von der unter ihnen errichteten Einigung, am 21. Dezember 1323.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

gata. Pro qua scilicet collatione Albertus sepedictus nobis XXVIII Marcas argenti Brandenburgensis et ponderis ejusdem benevole tribuit largiendo. Ne autem hec collatio a nostris saccessoribus in posterum infringatur, nostram super eo sibi patentem literam porreximus, nostrorum sigillorum munimine roboratam. Testes vero hujus rei sunt Otto, dictus de Oftheren, Henricus, dictus de Wodenswege, famuli strenui, nostri aunculi, Henningus Jan, Arnoldus Dewy-nes, Roschowe, Mathias de Lanchwiz, in nova ciuitate Brandenburg ciues, et alii quam plures fide digni. Datum et actum in dicta Brandenburg ciuitate, anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXII<sup>o</sup>., in die beati Iohannis Baptiste.

Nach dem Original des Stendalschen Rathsarhives No. 53.

**CIII.** Die Städte der Mittelmark und Niederlausitz geben der Stadt Stendal Nachricht von der unter ihnen errichteten Einigung, am 21. Dezember 1323.

Discretis viris ac honestis Dominis Consulibus de Stendal Consules Civitatum Nove Brandenburg et veteris, Rathnow et Nawen, Spandow, Berlin et Kolene, Mydwolde, Copnik, Bernaw, Ewerswolde, Landberch et Struczberch, Munchberch et Wrftenwold, Vrankenword, Summerwelde et Gubin, Bezcow, Lukow, Belyz et Bryffen, Veri amoris integritatem cum promptitudine famulatus. Noveritis nos in simul super quibusdam causis infra scriptis inter nos mutuo vovisse, conspirasse et compromisisse, quarum prima est, si aliquis malefactor excederit in aliqua nostrarum civitatum prenominarum, videlicet per furtum, spolium, latrocinium, aut per incendium, vel capiendo aliquem de civibus prenominarum civitatum, ut extorqueat ex eo alicujus pecunie quantitatem, hic debet proscribi juris ordine racionabiliter ac rite observato. Postea talis excessus aliis civitatensibus debet literaliter notificari, et sic erit proscriptus apud omnes nostros civitatenfes, et in quacunq[ue] tunc civitate nostrarum prenominarum Civitatum deprehenderetur, ibidem debet ad mortem condemnari, secundum quod ejus excessus postulat et requirit, ne civitatenfes illi, in quorum civitate maleficium peregit, laboribus fatigentur et expensis. Secunda est: Si aliquis, quicunque eciam esset, veniret in aliquam nostrarum prenominarum civitatum, vel fugeret in ipsam cum rebus suis et bonis racione securitatis, hic debet ibidem esse securus rebus et corpore, quamdiu in ipsa perseverat, et salvus. Tercia est: si aliquis princeps vel potens dominus esset, qui aliquam nostrarum predictarum civitatum violenter invadere vellet, tunc alii civitatenfes debent municionibus eorum intercedere ad ipsum Dominum et petitionibus pro tali civitate, ut desisteret; quod si facere non curaret, tunc nulla consolacio necessariorum ex aliis Civitatibus prenominaris sibi deberet ministrari. Hec omnia huc usque inter nos mutuo servavimus et adhuc volumus observare, volentes eciam predicta vobiscum et cum civitatensibus vobis coadherentibus firmiter observare, dummodo ipsa nobiscum servaveritis vice versa et literas vestras apertas confectas nobis remiseritis, super causis sepedictis. In cujus rei testimonium nostra sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum Berlyn, anno Domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. vicefimo tercio, in die beati thome apostoli.

Nach dem Originale im Stendalschen Rathsarhiv No. 54.